

Christian Ehrenfried Eschenbach

**Programma Paschale, Qvo Ad Celebrandvm Devote Resvrgentis Mvndi Salvatoris
Festvm, Vniversitatis Rostochiensis Cives Honoratissimos Omnes Ac Singvlos
Invitat, Atqve Sangvinis Et Aqvae E Christi Crvcifixi Latere Perfosso Efflvxvm,
Miracvli Defectv Non Laborantem, E Principiis Medicis Defendit**

Rostochii: Litteris Adlerianis, [1775?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn877642125>

Druck Freier  Zugang






T. 512.

1775. Ostern.

~~M-1256. 47.~~

01.1775

PROGRAMMA PASCHALE,
 QVO
 AD CELEBRANDVM
 DEVOTE
RESVRGENTIS MVNDI SALVATORIS
 FESTVM,
 VNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS
 CIVES HONORATISSIMOS OMNES AC SINGVLOS
 INVITAT,
 ATQVE
 SANGVINIS ET AQVAE E CHRISTI CRVCIFIXI
 LATERE PERFOSSO EFFLVXVM,
 MIRACVLI DEFECTV NON LABORANTEM,
 E PRINCIPIIS MEDICIS
 DEFENDIT,
 EIVSDEM VNIVERSITATIS
 HODIE
 R E C T O R
CHRISTIANVS EHRENFRIED ESCHENBACH,
 MED. PROF.



ROSTOCHII,
 LITTERIS ADLERIANIS.

M. 1256 417



De *salvatoris latere perfosso* nonnulla, secundum principia medica, commentaturus, primo loco e sacris literis historiam, de qua agitur, adducam, TREMELLIO interprete, hoc latine sonantem modo, loh. XIX. 34. sqq. „Quumque venissent ad Ieschua, viderunt, quod jam mortuus esset, et non fregerunt crura ejus. Sed unus ex militibus percussit eum in latere ejus lancea: et confestim exivit sanguis et aqua. Et is, qui vidit, testatus est, et verum est testimonium ejus: et ipse novit, quod verum dixit, ut etiam vos credatis.“ Huic addita, in iisdem bibliis latinis, BEZAE versio sequentis est tenoris: „Ad Iesum autem, quum venissent, ut viderunt eum jam mortuum, non confregerunt ejus crura. Sed quidam ex militibus lancea latus ejus fodit, et statim exivit sanguis et aqua. Et, qui vidit, testatur, et firmum est testimonium ejus: ille, *inquam*, scit, se vera dicere, ut et vos credaris.“

Historia hæcce variis occasionem dedit explicationibus: in quibus, quoad *effluxum sanguinis et aquæ* speciatim, de latere partim *sancio* disputatur, num dextrum pectoris latus lancea immissa vulneraverit, an vero sinistrum? partim quæstio movetur de *partibus læsis*, quænam præcise fuerint illæ? atque ista occasione auctores in duas præsertim abiisse partes reperiuntur, aliis solas pectoris partes externas, sive continentes, lædens instrumentum aperuisse contententibus; aliis, contra ea, cor cum pericardio vulneratum affirmantibus: partim denique differitur, qui fuerit factum, ut sanguis et aqua, et quidem manifeste discernibilia, effluerint? nonnullis auctoribus istud *pro miraculo* assumentibus; quibusdam autem naturali penitus modo singula evenisse, nec supranaturale quid accessisse, quin etiam fluida dicta sibi invicem permixta effluxisse, fidem spondentibus. Cum quibus omnibus in antecessum monuisse, e re videtur, quod, ad materiam hancce explicandam, cum varia requirantur medica, et, inter ea, quædam anatomica, Theologis, ceu arte non peritis, adeo haud sit vitio vertendum, si forte errorem erraverint, factum explicantes; Medici e contrario minus

us sint excusandi, si erroris commissi similis in denodando effluxu dicto sint arguendi. Singulorum præterea verba proferre in medium placet, utut hac ratione sermo aliquantum reddatur fusior. Nec tandem in præsentī discursu allegabo, nisi quos ipse evolvi ac perlegi auctores, quorum de cætero numerus super hac materia habetur satis insignis.

A) „Communiter lateri dextro inflictum putatur vulnus, „eoque nomine et reliquæ sudarii, apud Chiffletium l. de lin- „teis sepulchralibus Christi c. 31. p. m. 193. et pictorum mos „et alia afferri solent momenta, quibus et versio Aethiopica „consentit, quæ latus dextrum pertusum refert“ sunt verba GE. WOLFFG. WEDELII in *Progr. A. H. FASCHII* Diss. de prædictione mortis, Ien. 1686. addito: atque, post prolata ea, auctor *sinistrum* potius percussum latus probat, „e situ naturali „et ordinario, quo dextra manus lædentis“ (militis) „ad ferien- „dum oppositum latus vulnerati magis propria est; nulla enim“ quemadmodum auctor pergit „probabilis est ratio, læva manu „id inflictum fuisse, quod hanc pro dextra habuerit expeditio- „rem, ut quibusdam id naturale, an acquisitum potius est.“ Interim et percussoris intentionem simul probationis loco adducit. „Si intentionem vulnerantis attendamus, inquires, nec „casu id vulnus, sed ex malitia et directa intentione factum „cogitemus, non possumus, quin *sinistrum* affectum pronun- „ciemus: ferrum adverso sub pectore condit.“

Quod attinet ad pectoris partes læsas,

B) *Solās partes externas pleuramque* faucias, *liquores itaque e thoracis cavo profluentes*, tuetur THOM. BARTHOLINVS, hanc materiam et in *Epistol. Medicinal.* et in peculiari Tract. de latere Christi, pertractans. Sic namque auctor; postquam *Epistol. Cent. I. 69.* quæ inscribitur: *An aqua ex latere Christi effluerit ex cavitate thoracis, vel pericardio?* BARDIVS, aquam effluentem fuisse liquorem pericardii, et modum egressus solum, i. e. humoris utriusque sine permixtione profluxum, *miraculis* annumerandum esse, affirmaverat; *Epist. 72.* cui titulus: *De latere Christi aperto, Responso*, hæc fatur. „Nihil illo- „rum, (a Bardio prolatorum) plane est, quod non pro liquore „thoracis æquius pugnet, quam pericardio. Nam quod *perennem aquarum moram* in pericardio propugnans, non repugno, „modo id quoque mihi des, *perennem etiam in capacitate tho-*

»*racis* inveniri, quod satis hætenus a professoribus diligentio-
 »ribus observatum, suadetque ratio invicta. Nulla enim pars
 »cava in corpore reperitur, quæ non suo complexu humorem
 »quendam contineat. At enim major necessitas liquorum in
 »thorace, partim, quod sicior ob ossium viciniam sit hæc regio,
 »partim quod perpetuo motu manifestius agitentur hic viscera,
 »unde quo commodius id fiat, liquorum substerniculo indige-
 »bant, ne ad partes duriores alliderent. Quemadmodum
 »enim cordi prospectum crumena illa lymphatica, ita aquam
 »totius cavitatis, reliquis partibus in thorace, et ipsi capsulæ
 »cordis, ut molle stragulum substravit natura — Ad hæc *la-*
 »*tus*, nec pericardio, nec cordi attribuitur, quod perforatum
 »urget scriptura — Nolo omittere, *aquam pericardii* illam non
 »*fuisse*, quæ effluxit. Nam illa simplex est, urinæ non absimi-
 »lis, ut depingunt autores nostri. — Hæc autem sanguinea
 »fuit, et *tincta rubore*, qualis in *capacitate thoracis* apparet ubi-
 »que. Scio, sanguinem te cum non nemine a corde advocare.
 »Sed *vulnus profundum adeo vix concipio. Puncturæ enim compa-*
 »*ratur*. — Præterea ex mente istius vulneris, quod inducitis
 »(i. e. pericardii) liquores seorsum, non mixtim fluxissent, cui
 »tamen Patres plurimi, et vis vocabuli ~~non~~ apud Evangelistam
 »repugnant — Meo iudicio non opus erit, confingere binos
 »liquores distinctos, quando sufficit simplex serum, substantia
 »sua aquam, colore sanguinem monstrans — Vehementer
 »sane doleo, adeo obtusum me natum genio, ut percipere non
 »possim, qua necessitate cor et pericardium debuerint pertundi,
 »siquidem ex sola pleura perforata omnia potuerint perspice-
 »re, quæ ex corde et pericardio vos urgetis — Acutior mem-
 »branæ pleuræ dolor: et acrius se movet, puncto latere,
 »cruciatius, quam facto corde, quod experiuntur illi infelices,
 »quibus in Empyemate costarum tunica aperitur. Fallax quo-
 »que ex corde et pericardio vitæ experimentum desumimus,
 »*quum pericardium sine noxa vitæ possit aperiri*, nec vulnera cor-
 »dis lethalia sint omnia — Vulnus lateris non hoc sine indicat
 »Evangelista, quia jam viderant, eum animam exspirasse, sed
 »a petulantia mera militis, ne sine vulnere esset post fata, quum
 »reliquis frangerentur ossa, id solidum dependebat. Adde ad
 »majorem fidem, nec cor, nec pericardium aperta fuisse, quia
 »*solum latus S. Thomæ monstravit inspiciendum.*“

C) Pe-

C) *Pericardium*, ceu partem læsam, nominat auctor notæ, BEZAE versioni allatæ in margine appositæ. „Hoc, ajens, „vulnere plene facta fuit mortis Christi fides. Nam effusa aqua „ex hoc vulnere indicavit, ferrum usque in pericardium pene- „trasse, illius videlicet aquæ receptaculum, quo vulnerato ne- „cesse est, *omne animal protinus mori*“ quæ ipsa etiam habet MATTH. POLVS in *Synopsi Criticorum S. Scripturæ*.

D) In medio fere thorace, *inter quintam circiter et sex- tam costam*, pectus intrasse lanceam, WEDELIO *Progr. cit.* pla- cet, sicque perrexisse in *cordis thalamos* instrumentum, conse- quenter et pericardium læsisse. Qui auctor præterea addit, „*Non ex cute, vel carne vulnerata leviter, derivandus fuerit efflu- „xus sanguinis et aquæ. Illud enim vulnus et levius fuerit, „nec adæquatum reliquis, si cuspe lanceæ superflue statua- „mus vulneratum latus. Non id τῆς πλευρῶς attingit latifun- „dium, nec textui videtur conveniens, qui punctum et perfos- „sum latus arguit — Nec ex pericardio, seu cordis capsula fluxit „solum. Non enim fluxerit inde nisi aqua, quæ paucula inest, „et, si pericardium vulneratum fuit, quid obstat, non cor quo- „que apertum fuisse. Ubivis enim præ oculis esse debet furi- „bunda et contumeliosa vulnerantis actio, qui non obiter vel „dicis gratia id præstare videbatur. Multo minus e cavitate tho- „racis effluxus hic factus statui potest, quod ibi vacuum detur, „adeo ut — injuriam faciamus divinissimo et sanissimo corpori, „quasi illuc colligi debuissent humores vitales, ubi non nisi extra- „ordinarie in statu morbofo fit quædam congestio. Accedit, ela- „tiori loco vulnus inflitum, quam ut ex cavitate illa, corpore „præsertim erecto, exire humor, vel maxime ibi collectus po- „tuerit.“ Quocum, quoad *pericardium et cor læsa*, faciunt, ac ex hisce partibus ambabus, interne sitis, effluxisse sanguinem et aquam, consentiunt, præter BARDIVM (B) alii adhuc, pro parte Theologi, in WOLFII *Curis Philologicis* narrati.*

Miraculosum pronunciant dictum sanguinis et aquæ efflu- xum, præter Theologos quamplurimos nostros, atque BARDIVM *alleg.* (B)

E) WEDELIVS, *Progr. cit.* triplex argumentum verbis afferens sequentibus. „Exivit primo *sanguis et aqua*, contra „naturæ ordinem. Non cruor et aqua, vel aqua sine cruore „in grumos coagulato, ut in vulneratis hoc pacto, et demor-

„tuis vidimus. Sanguis integerrimus erat, ut non putredini,
 „ita nec coagulo tali obnoxius, effato Psalm. 16. v. 10. Nec
 „ichor profluit, seu serum corruptum saniosum, seu permixtus
 „aquæ sanguis, sed aqua limpidissima, vigore cum sanguine
 „certans, integerrima, utraque distincte et junctis viis, citra
 „confusionem ullam. Exiit deinde sanguis et aqua, *corpore*
 „*ἀγανίαν*, seu *violenter erecto*, in cor vulnerato. Cessat in de-
 „mortuis impetus seu impulsus. Non tam fit, corde hoc pa-
 „cto vulnerato, effusio foras, ut videri possit tam egregie, sed
 „in pericardii capsulam, in cavitatem thoracis, velut excipula
 „ordinaria, ut sensus abunde testantur in tristibus illis casibus.
 „Hic vero exit ille humor, exit, ut ostendat defunctum, ut pro-
 „fusum ad ultimam guttam, pro salute hominum, sanguinem.
 „Exit gemino rivo, motu imperturbato, ordine certo, ut,
 „exemtum sorte communi hominum salvatorem, in hoc pate-
 „ret. Exit miraculose. Denique effluxus sanguinis et aquæ
 „fit in *corpore ἀγανίαν passo*, *ἀγανίαν* non ultimam solum illam
 „(si tamen illa dicenda ira est, cum dimiserit liberrime ani-
 „mam) qua et fiente et facta longe magis sanguis in mortuis
 „grumescit, sed gravissimam in horto præviam, ubi sanguis
 „lympha exhaustus, et in grumus coiens visus est — Non ob-
 „stante illa, non effusione multiplici, ob vulnera alia non pau-
 „ca, non fatigatione et cruciatibus infinitis prægressis, sanguis
 „et aqua exit. Unde merito triplici testimonio *miraculum tan-*
 „tum deprædicat, et obsignat sanctissimus Apostolus.“

F) GERARD. BLASIVS, auctor, pariter ac præcedens,
 ad recentiores non amplius referendus, in *notis ad VESLINGII*
Syntagma Anatom. Cap. X. pag. 146. sic loquitur. „Hanc
 „(aquam e Salvatoris latere effluentem) aquam fuisse pericar-
 „dii, plurimi volunt, putamustamen nos, eam non fuisse aquam
 „pericardii; nam I. illi hoc volunt ideo, ut eo probent, cor
 „Christi fuisse perfossum, ac sic eum revera mortuum: sed il-
 „lum revera mortuum fuisse, jam constabat, ut docet Evang.
 „Ioh. cap. 19. v. 30. ad 34. ideo nec fregerunt ejus crura. 2.
 „Etiamsi confossus fuisset Pericardium et Cor, *an ideo aqua*
 „*illa effluxisset per vulnus, et non in thoracis cavitatem?* 3. Sanguis,
 „qui effluxit, necessario copiosus fuit, quia recenter erat mor-
 „tuus, et magnum vulnus inflatum, ut cap. 20. v. 27. patet,
 „ubi Thomas immisit manum in illud, quomodo vero potuit
 „parva

„parva illa quantitas aquæ Pericardii discerni a copioso sanguine? Quid ergo fuit? Bartholinus in *Tract. de latere Christi aperto*, liquorem hunc ex cavitate Thoracis effluxisse scribit, ut *cap. de Diaphragmate* vidimus, sed credimus nos potius, copiosam eam effluxisse, ut Christus impleret præfigurationem, atque testaretur, se eum esse, qui figuratus erat per Petram, ex qua multum aquæ effluxit, ut Israelitarum magna turba inde sitim sedare posset. Fuit ergo *mysterium, nobis incognitum*, cujus generis et alia nobis S. S. exhibet, nisi dicere velimus, *immoderatam tristitiam sanguinem serosorem fecisse.* Verba auctoris, *Cap. de Diaphragm. pag. 142.* prostantia, hæc sunt. „*Humor quoque in Thoracis cavitate communiter reperitur, similis cruori, aquæ permixto*, quo Thoracis partes oblinuntur, ne nimium calefiant, et exsiccentur, aliquando adeo copiosus, ut instar crumenæ magnæ Diaphragmate depresso propendeat, et hunc ex latere Christo aperto profluxisse in dissertatione de latere Christi docet Bartholinus“ etc.

G) Hisce annumerandus est GEORG. CHRISTOPH. DE THARDING, qui *Diff. Positiones biblicas sistens*, et Rostoch. 1735. habitæ, Posit. III inscribit: „Effluxum sanguinis et aquæ, ex latere Christi perfosso, Ratio explicare non potest.“ Nec non IOH. BERNH. QVISTORP. in *Progr. Quadragesimali*, Rostoch. 1757. conscripto: et alios adhuc auctores consentientes enumerans; et sententiæ eorum accedens, qui dextrum salvatoris crucifixi latus perfossum assumunt; quoad viscus autem læsum, cor vulneratum affirmantibus sese jungens; tandemque, a Deo creatos fuisse ex latere Christi manantes liquores, Hieronymo præeunte, defendens.

• Additum facto *miraculum negant*:

H) HEVMANNVS in *der Erklärung des Neuen Testaments*, cujus super hac re sententia, latine reddita, sequentem in modum sese habet. „Exegetarum plurimi sibi imaginati sunt, Iohannem adjecta assertionem de facti veritate indicare, quod effluxus sanguinis et aquæ e latere Iesu fuerit miraculosus. Conclusionem hanc patres Ecclesiæ formabant. Calovius ipsis accedit, sequenti ratione hanc confirmans opinionem; gravis illa asseveratio satis indicat, miraculosum hoc esse. Quid enim alias tanta opus fuisset asseveratione? Quodsi vero aliud quidquam, Iohannem ad asseverationem adeo gravem
„com-

„commovens, indigitari queat, *obsoleta haec opinio* pondere ob-
 „batur suo; imprimis si veritati ianitantur, quae GERHARDVS
 „*Harmon.* pag. 285. profert: Hic sanguinis et aquae profluxus
 „causas habere potuit naturales. Istud ipsum vero certum esse,
 „et veritati consentaneum, ut physicorum affirmantium asser-
 „tioni fidem habeamus, oportet, quorum nonnullos WOLFIVS,
 „longe plures VOSSIVS nominat, *Harmon.* lib. II. cap. XI. §.
 „14. p. 137. seq. qui et exinde concludit, Iohannem hoc loco
 „*miraculum innuere nullum.*“ Auctor in fine addit: „Cum error
 „communis, effluxum scilicet huncce sanguinis et aquae *miracu-*
 „*losum fuisse*, a GERHARDO roboretur aliisque, ea etiam opi-
 „nione, quod Iohannes I. Epistola sua V. 6. ad eundem respe-
 „xerit; ego *Hebdomad. Ioann.* cap. 2. evidenter demonstravi,
 „ipsum historiam istam minime, sed aliam longe rem, praecocu-
 „lis ibidem habere.

I) THOM. BARTHOLINVS, qui *loc. cit.* quo liquores e la-
 tere Salvatoris mixtim fluxisse, non seorsim ambos aut distin-
 cte, contendit, haec addit verba: „Non potuit seorsim fluere
 „(liquor) sine *miraculo, quod hic*, citra impietatis culpam, *plane*
 „*excluserim.*“

K) Theologi Reformati complures, pro parte in *Progr.*
Quistorp. cit. nominati.

Ultimo denique loco monendum est, copiosum de hoc
 themate auctorum indicem exhibere LILIENTHALIVM in *Bi-*
blischen Archivar. Ii interim singuli, quin ad classium descri-
 ptarum unam vel alteram referri mereantur, nullos dubito.

Narratis sic auctorum placitis cogitata iam propria adji-
 cere lubet. Et quidem, quod ad *externam pectoris regionem vul-*
neratam attinet, WEDELII sententia de laeso potius *latere sinistro*,
 quam dextro, non solum probabilitate gaudet summa, sed etiam
 certitudinem addit pars interna laesa, de qua in sequentibus.

Ejusdem, contra ea, opinio de vulnere in *medio fere tho-*
race, inter quintam et sextam costam (veram) inflicto, minus sta-
 bili gaudet fundamento; in quantum comparatur cum sine,
 quem sibi proposuit, hunc determinando locum, auctor, quique
 est sauciatum, ad ejus mentem, cor ipsum. Quod si namque cor
 supponere laesum velimus, ac simul hujus situm naturalem con-
 sideremus, quo respectu illud diaphragmati incumbit partim,
 partim mediam occupat cavitatis thoracis infimae portionem,
 locus

locus prædictus haud adeo exactus apparet assumptus. Certe de *cordis situ*, WINSLOVIVS, latine jam versus, hæc fatur. „Cor, „in pectoris cavitate, Mediastino duplicato interpositum, et „capsula membranacea, Pericardio dicta, inclusum, Diaphragmati transversim incumbit. Maxima ejus portio in cavitate protenditur sinistram thoracis, et cuspis extremitatem sextæ costæ veræ respicit, basis autem thoracis cavitatem dextram. — Hicce positus verum et naturalem illius exprimit situm.“ Vid. Ej. *Exposition Anatomique* Tom. IV. *Traité de la poitrine*, §. 40. seq. 74. seq. Ipsam quoque hanc descriptionem *Anatomia*, a me in lucem emissa, proponit §. 610. HEISTERVS *Comp. Anat.* §. 261. cordis situm sequentem in modum describit. „Situs est fere transversalis, sive horizontalis, ita „ut basis in dextro, apex cum maxima cordis parte in sinistro „latere, ubi pulsare percipitur, hæreat. Plana superficies diaphragmati incumbit, convexa sursum spectat.“ Consentiant auctores etiam reliqui.

Quibus adhuc addendæ nonnullorum de situ partim, partim de magnitudine cordis relationes specialiores paulo, in libris anatomicis obviæ. Sic „basin cordis, secundum omnem „locorum differentiam exacte medium locum (cavitatis thoracis infimæ) occupare, et in longitudine sex transversos digitos, in latitudine vero et altitudine quatuor æquare.“ SPIGELIVS *de hum. corp. fabrica* Lib. IX. Cap. 6. annotat, quocum et cæteri antiquiores anatomici consentiunt, e. g. BLASIVS in *not. ad Vestingium*, Cap. X. pag. m. 150. *Piccolhominum* mensuram observasse istam, asserens: atque hac ipsa simul descriptione patet, cor haud attingere sternum, sed ab eodem introrsum potius ac dorsum versus, digitum latum et quod excurrit, recedere. Quodsi jam iis omnibus jungatur corpus, supra terram in altum, quatuor e. g. pedes sublatum; atque concipiatur *linea*, quam lancea, aut hasta, *ab imo sursum* in pectus immissa describit; sequitur manifeste, ut *laedens instrumentum*, *si inter costam veram quintam et sextam penetret*, cor nullatenus attingat; adeoque, ut vel principio vulneris locus inferior magis sit tribuendus, vel concedendum, cor *assumpto a WEDELIO ictu* non vulnerari.

B

Porro

Porro, costæ spuria, si principium vulneris earundem intervallorum alicui adscribere velimus, infimum in thorace locum obidentes, ea reperiuntur positæ ratione, ut, si percussor aliquis hominem, ante eum recta stantem in loco elatiori, ad pedes e. g. quatuor, sauciare, ac simul, anatomia eousque gnarus, ipsius perforare cor, intenderet animum, is costarum spuriarum intervallum unum vel alterum pro loco instrumenti lædentis immittendi eligere non possit, sed potius in hominis illius abdomen immittere instrumentum ejusmodi debeat, ut per diaphragma perforatum ad cor pertingeret. Quamvis enim diaphragma; formam nactum arcuatam, atque sterni portioni infimæ, cartilagini ultimæ costæ veræ, nec non costis spuris singulis adhærens; in parte thoracis laterali, secundum costarum spuriarum ductum magis magisque descendat, hinc thoracis cavitas, quoad portionem lateralem postremamque, declinet etiam; idem tamen simul, propter figuram arcuatam dictam, sub ascensus initium proxime accedit ad costas spurias, nec nisi durante hoc ascensu pederentim a costis iisdem regreditur: quam ob rem, vulnerando cor, immisso inter costas spurias instrumento, ne hac quidem ratione diaphragma evitari potest. Diaphragma autem, quacunque via percussum, hunc post se trahit effectum indubium, ut humor, e faucia in cavitate thoracis parte qualibet exiens, per hians idem, in cavum abdominis influat omnis, nec in casu etiam influcti vulneris inter costas spurias, ex hocce pectoris externo vulnere quidquam ejus, nisi repleto antea abdomine toto, egrediatur.

Verum et percutientis militis positus probabilis, respectu corporis Salvatoris, a WEDELIO quoque annotatus, ejusque intentio, e quocunque de cætero orta fuerit fonte, aliud vulnus externum, quam intervallo costarum verarum cuidam influctum, haud permittunt. Atque sacer codex τὴν πλευράν aperte nominat, sicque thoracis anterioris, sive pectoris, regionem quandam, inter infimam supremamque intercedentem, id est, mediam indigitat. Et quamvis *Pleura* hodiernis anatomicis denotet in specie membranam quandam, thoracis cavitatem intus ambientem: ejus tamen significatum etiam dari, et olim et nunc, latiore, atque externam simul pectoris regionem lateralem includere, vel Pleuritis probat, morbus, in communi
eriam

etiam vita, lateris, id est, pectoris partis externæ lateralis, hinc minime solius pleuræ membranæ, designans dolorem.

Ex hisce ultimis itaque sequitur, ut *vulnus, salvatoris lateri*, id est, regioni *pectoris laterali*, fuerit *inflatum* partim: partim istud, majori instrumento lædente factum, qua locum externum sive *principium*, evitandi Diaphragmatis, sicque evitandæ aperturæ, humoribus prodeuntibus non convenientis, gratia; non nisi *inter costas ultimas veras* introitum concipiendum permittat lanceæ; sive læsio assumatur inter costam septimam sextamque veram facta, sive sextæ quintæque costæ interstitio contingens.

Alterum momentum *laesas in Thoracis cavitate partes* conernit. Huc spectans, quam BARTHOLINVS defendit, sententia *solas partes pectoris externas, inclusa* tamen membrana *pleura*, læsas affirmans, humidumque effluens sanguineum et rubore tinctum, seu, quod idem est, serum sanguinolentum asserens, plus uno laborat errore. Non enim modo aquam sanguineo colore tinctam minime, sed potius tam aquam, quam sanguinem (*αἷμα καὶ ὕδωρ*) adeoque duos liquores, a se invicem optime distinctos effluxisse, textus sacer apertis declarat verbis; adeo ut nulla pateat ratio, ob quam ab hac descriptione, satis clara, auctor recesserit, ejusque loco voci *καὶ* insolitum plane sensum tribuerit; nisi hæc, ut hypothesi faveret suæ. Sed etiam, quod auctor, pariter ac BLASIVS (F), in cavitate thoracis præfens semper supponit, *serum sanguinolentum, in statu sano penitus in eadem deficit*. Certissimum quidem est, quamcunque corporis cavitatem investientem membranam, hinc et thoracis cavo circumdatam membranam pleuram, exhalare, arteriarum secernentium, in eadem obviarum, ope serum aliquod subtile; verum et idem, vaporis instar prodiens, in eadem, qua provenit, quantitate indefinenter in sanguinem venæ absorbentes reducant, ut ideo humoris alicujus serosi collectio, in cavitate illa, nunquam fiat in homine sano, quæ potius, *quoties contingit, toties morbum quendam internum, hydropis nempe speciem, constituit*. Præterea *sanguinolenti additi hicce vapor*; quicquid auctores, sive antiquiores, sive recentiores, cum probationis defectu dicant; *nihil secum ducit in statu naturali et sano*, cum eundem componant subtilissimæ humorum corporis por-

tiones, cruorem omnem, omnemque adeo mucum; licet ipse jamjam mucus non nisi albo præditus sit colore; excludentes. Quo ipso sequitur aperte, ut et thoracis cavitas *in statu sano*, non includat nisi vaporem aliquem serosum, viscera irrorantem vicina; ac vapor ille, neque colligatur adeo copiosus, ut humoris veri faciem sistat; neque sanguinolenti quid secum habeat commixtum: ut igitur, si collectus occurrat humor, is eo ipso morbum internum, pectoris scilicet hydropem arguat præsentem. Quare assertio Bartholiniana effluxui, de quo agitur, explicando haud sufficit. Speciosior est illorum assertio, qui pericardium et cor affirmant læsa, hinc, liquorem effluentem serosum e pericardio, sanguinemque e corde produisse, volunt *). Et primo quidem, Cor in vulnere, hætenus pertractato, lædi non potuisse, pro parte in antecedentibus, de situ cordis præcise in media, eaque infima, thoracis cavitate, nec non de diaphragmate evitando agentibus, apparet. Idem adhuc Salvatoris crucifixi situs corroborat. Istum nempe, cruci affixum, eo ipso supra terram fuisse elevatum, facile patet non modo, sed etiam tot S. Scripturæ loca innuunt. Hanc ipsam adhuc a terra elevationem, haud adeo exiguam; et Judæorum, crucis in specie mortem, majoris Salvatori addendæ ignominie scopo, elegantium; et inscriptio, a Pilato addita, ac denique spectatores procul stantes, Matth. XXVII. 55. testantur: singulæ enim hæ circumstantiæ cum elevatione manifesta conveniunt magis, quam cum eadem deficiente. Et quamvis *altitudinis*

*) In Programm. mei, de apparenter mortuis, 1766. in lucem emissi, parte ultima, et Cor una cum Vena cava saucium, et aquam effluentem fuisse pericardii liquorem, affirmavi ipse. Præfixus tum temporis scopus hoc loco mihi erat, salvatorem mundi non apparenter, sed vere, mortuum dare probatum: qua occasione, quæcunque de Corde læso et de aqua profuente addidi, adjeci talia, qualia in auctoribus medicis, hanc materiam pertractantibus, leguntur plurimis. Ulterior interim historiæ pensitatio ea me docuit, quæ præsentis pagella de eodem habent commate. De cætero, quæ jam aliter dicta de læso thoracis viscere leguntur, probationi, ibid. de vera Salvatoris morte allatæ, nil quidquam demunt roboris, cum ratione lethalitatis absolutæ perinde sit, num cor in ventriculos usque, an potius vena cava, læsionem incurrat, et num ambo hæc simul, an vero alterutrum horum fuerit sauciatum solum.

mensuram, nec in IVSTI LIPSII de cruce libello, nec alibi invenierim determinatam; tamen si spatium tantummodo cubitorum duorum assumamus, ac simul interstitium singularum costarum inter se invicem, satis angustum perpendamus; porro addamus, ictum, ob rationes expositas, non nisi inter costas veras possibilem; præterea consideremus lineam, quam lancea describit, ab imo sursum in pectus immissa, inter septimam sextamque costam veram, si placet (in reliquis, iisque situm adhuc altiore[m] nactis, interstitiorum differentia successive respectu instrumenti immissi, ceu lineam successive obliquiorem describentis decrescit, sicque via sensim a corde fit remotior) tandemque ex antecedentibus repetamus impossibilitatem, lancea in pectoris latus immissa quadam, sub ejusmodi circumstantiis, cor ferendi; ex hisce omnibus combinatis pronò fuit alveo, ut sanguis evulnere Salvatoris lateri inflictò profluens, non e corde, sed aliunde venerit.

Quod vero attinet ad *Pericardium*, quia, secundum antea deducta, cor illæsum mansit, ut *pericardium* quoque læsionis fuerit expertus, sequitur. E quo iterum palam fit, ut aqua e latere Salvatoris percussò effluens non fuerit liquor pericardii.

Ponamus interim, *pericardium* revera fuisse transfossam, illæso licet corde, minime simul exinde sequitur, ut aqua profluens ipsum constituerit pericardii liquorem. *Pericardium* nempe, ceu cavitatem quandam cingens membrana, haud alia ratione, quam pleura, cæteræque ejusmodi membranæ singulæ, prouti mox dictum est, serosum emittit vaporem; manifesti vero liquoris quantitatem aliquam in statu naturali, sive sano, non includit, sed exhalatum humorem, pariter ac fit in illis, in eadem semper copia, qua exhalatur, venæ absorbentes, reliquis membranæ fibris intertextæ, recipiunt iterum, et sanguini advehunt circulanti. Quoties itaque et in pericardio feri colligitur copia quædam manifesta, toties morbus adest, et quidem internus, sub *hydropis pericardii* nomine medicis notus. Quodsi igitur salvatori sanitatem tribuamus integram, nullus humor manifestus ex illius pericardio, utut læso, emanare potuit. Sanitatem vero ipsi tribuere integram cogimur, quia prima et unica morborum internorum ac proprie dictorum origo generalis, peccatum, in eum nullatenus cadit,

cadit, qui a peccatoribus erat separatus, et caelo excelsior. Atque, quæ Ies. LIII. 10. de Salvatore prædicat; Jehova delectatus conterere ipsum, morbo affecit, de morbo quodam interno nequeunt intelligi.

Dieta hæc, ipsæ probant auctorum de *Pericardii liquoris*, in statu sano, *realitat*: non modo, sed etiam de illius quantitate et qualitate, opinio res maxime diversæ, qui singuli ad experientiam simul provocant: e. g. WINSLOVIUS Tom. IV. *Traité de la poitrine* §. 23. hæc habet, latine sic sonantia. „Pericardii superficies interna foraminulis abundat, visum effugientibus, quæ continuo exsudant humorem serosum, pariter ac fit e superficie Peritonei. Humor hicce post mortem colligitur, ita ut in iis, qui non nisi aliquot dies post obitum dissecantur, quædam illius copia reperiatur, liquoris pericardii titulo veniens. Interdum iste rubescens paulo apparet, cujus forte causa est sanguis, per auricularum cordis membranam tenuissimam transsudans.“ E paulo antiquioribus, BLASIVS adductus *loc. cit.* hæc adhuc habet, jam jam allegatis antecedentia. „Pericardii liquor aquosus est, insipidus limpidusque, ac nullo colore infectus. — Quantitas in sano est cochlear unum et dimidium, vel uncia una aut uncias duas. In morbosis copiosior longe est. — Bartholinus cum Bauhino, Claudino, aliisque, in hæticis exiguam credit. LINDANVS sæpe nullam — Inter sanos etiam, quicumque sicciore sunt, parum ejus habent — regeneratur ille, postquam omnis periit effluxu, in iis, quibus pericardium læsum fuit, et iterum sanatum, cujus rei exempla habet Galenus, imo et Bartholinus — In mortuis quendam adesse, sensus ipse probat. In viventibus autem reperiri, hæc maxime probare videntur, 1. quod in brutorum animalium vivorum dissecto pericardio inveniatur. — 2. Quod Vesalius aliquoties pericardium hominum, supplicio publico affectorum — statim examinaverit, et semper eum humorem invenerit. Andr. Laurentius, ut hoc probet, addit, *Cap. de Pericardio*, argumentum desumptum a Salvatore nostro, ex cujus latere, ubi lancea aperiatur, aqua et sanguis, teste scriptura sacra, effluxit.“ Similia fere, id est, pericardii liquorem in viventibus, copia diversa, in diversis personis præsentem, in morbo affectis generatim frequentiore, aliquando loturæ carni-

carnium similem', proferunt, SPIGELIUS *loc. cit.* Libr. IX. Cap. 5. RICH. MEAD. *Monit. et Præc. Med.* Cap. VIII. IOH. FREIND. *Histor. Med.* pag. 247. HEISTER *Comp. Anat.* §. 260. „An fluidum hoc corporibus vivis, et secundum naturam constitutis, ut pars integralis, insit.“ dubitat BOHN, *Vuln. Lethal.* Sect. II. Cap. III. pag. 307.

Quibus addi meretur, qui loco omnium esse potest, ALB. V. HALLER. Hic vir Clar. liquoris pericardii in homine præsentis defensor, ideoque ad auctorum testimonia propriamque experientiam, *Element. Physiol.* Tom. I. Lib. IV. §. XIX. pag. 280. sqq. provocans, *ibid.* hæc quoque habet. „Aqua pericardii — a multis atque celebribus omnino viris impugnata est, quorum experimenta non oportet dissimulare, etiam quando nostris contradicunt.“ Ac, post allegatos auctores, eandem brutis quibusdam negantes, pergit, auctorum loca simul indigens „alii ne in homine quidem (admittunt). Omnino nullam esse, aut certe non superare unam alteramve guttam, SCHNEIDERVS auctor est, *præter naturam esse*, BOHNIVS atque DIONIS. Sed etiam in hominum ægrotorum cadaveribus nulla fuit, si claris viris fides est. Post subitaneas mortes testimonia adsunt WELSCHII, SCHENCKII, atque DIONIS. *A violenta morte nullam* in suspenso pericardii aquam vidit PALFYN, in suffocato et decollato alii. In morbis acutis, ut in ardente febre, hydrophobia, dysenteria, pleuritide demum et peripneumonia, alii clari viri *negant se vidiisse*. Denique in lentis morbis alii *nullam reppererunt*, in steatomatibus Aortae, febre hectica, morbo hypochondriaco, et hydrope, etiam ejus generis, in quo aqua in pectoris cavitate colligitur.“ Quibuscum conveniunt, quæ idem auctor in notis ad BOERHAVII *Praelect. Academ.* Vol. II. pag. 94. sqq. profert, sequentia. „Multæ lites de aqua pericardii fuerunt inter anatomicos, cum alii adesse perpetuo, strenue affirmarent, alii nihilo magis dubii *negarent*. Potest autem hæc tota lis ita componi, *ut neutra sententia falsa sit*. Certum est, in omni cadavere, quod diuturno morbo peremptum est, aquam in pericardio ubertim reperiri. Neque minus *certum est, in homine subita morte perempto, nullam adesse*. — Vapor non resorptus augetur continuo, nisi perpetuo suis venulis reciperetur — Si aliqua mora fiat,

„non

„non resorptus in aquam coit. Id fit in morbis diuturnis, tum-
 „que in hydropem pericardii aliquando congeritur. Si vero
 „subita mortis vehementia opprimatur homo, tunc, resorpto
 „ante mortem omni vapore, nihil aquae reperitur in pericardio.
 „Idque videtur, in sano homine semper ita se habere. Eadem enim
 „est ratio omnium cavitatum in corpore humano, quæ universæ
 „aliquo vapore replentur.“ etc.

Ex hisce omnibus namque aperto fluit alveo, ut aliquando liquor quidam observetur in pericardio humano, contra ea aliquando nullus conspiciatur. Cumque, si ejusmodi liquor naturaliter adesse deberet, sicque perfecto, id est, sano corpori humano competeret necessario, is non posset non semper adesse, pari modo, ac reliqua corporis humani fluida naturalia, e. g. sanguis, chylus, saliva, bilis, etc. nunquam non in corpore sano post mortem præsentis inveniuntur: copiosa plane exempla adducta, liquoris pericardii nullius præsentis; nec non hydro-
 pis pericardii, morbis internis absque dubio annumerandi realitas, ab omnibus omnino medicis affirmata, atque per experientiam anatomicam omni dubio vacua; tandemque morbi hujus gradus varii possibiles, itidem ullo modo haud negandi, nec ab ullo unquam medico negati; satis superque testantur, quæ in antecedentibus leguntur asserta, id est, liquorem dictum, naturaliter conspici nullum, adeoque, quoties reperitur post mortem, toties præter naturam adesse, seu, quod idem est, hominem, in quo is præsens observatur, pericardii hydrope, sive incipiente, sive consummato, laborasse; e quacunque demum causa hydrops accesserit, qui generatim nihil aliud est, quam collectio seri in spatio corporis quodam, quod naturaliter serum illum sive liquorem manifestum includere non debet.

Ast est dubia quædam removenda obveniunt, pro parte antecedentibus interspersa.

a) LAURENTII argumentum, qui præsentem in vivis hominibus liquorem pericardii ex profuente e latere Salvatoris aqua probare annitur, nullius plane valoris est censendum. Demonstrandum namque ipsi erat antea, aquam effluentem revera fuisse liquorem pericardii; cujus tamen contrarium hucusque disputata monstrant.

b) Au-

b) Auctores, qui liquoris pericardii, *in statu sano* quoque, in homine *praesentiam*, in copia sive majori sive minori, manifesta tamen, defendunt, utpote, post GALENUM, BARTHOLINVS allegatus, BARDIVS, BAVHINVS, caeteri; praeterquam quae in antecedentibus in contrarium sunt prolata; unico experimento, eoque vulgo etiam noto, a brutis perfectioribus recenter maectatis, antea sanis, desumpto refutantur, in quorum scilicet, neque thoracis, neque abdominis cavo, non obstante BLASIO, caeterisque, aliud quid affirmantibus; ullus liquor serosus manifestus observatur, quamvis serosus vapor, e recenter apertis cavitatibus dictis, prodeat conspicuus. Et quoniam singularum ejusmodi cavitatum corporis plane eadem est ratio: consentientibus hisce auctoribus ipsis, adeoque cum peritoneo pericardium congruit perfecte, experientia etiam anatomica teste; atque peritoneum apertum ullum haud monstrat liquorem conspicuum, *pericardium* quoque *in statu naturali*, qui sanus est, *aquam manifeste collectam non includit*, licet, bruta maectando perfectiora, pericardium propter molem longe minorem adeo, quam peritoneum, abdominis cavitatem investiens, in conspectum ordinarie non veniat, hinc suscipiendae indagationi speciali sese non offerat sponte. Idem adhuc experimentum iis contradicit auctoribus, qui pericardii liquoris copiam quandam, post obitum repertam, *in mortis articulo colligi* demum in istis volunt, qui violenta morte pereunt. Manifesta enim morte violenta, dicta pereunt bruta, nec tamen cavitates commemoratae liquorem ullum conspicuum monstrant inclusum. A brutis vero in hoc passu ad hominem concludere fas est, quoniam nunc de sola corporis animalis proprietate quadam passiva sermo est; nec de vivi corporis innata facultate activa aliqua, quarum ultimarum respectu, homini animalia bruta interdum anteire quam longissime, constat. Quodsi his omnibus propriam addere experientiam liceat, ego in hominibus quoque, quorum sectioni anatomicae interfui, pericardii liquorem observavi nullum *).

c) Quem-

*) Quam *Anatom. meae* §. 1433. exhibet, pericardii liquoris descriptione hujus praesentiam minime pro fundamento agnoscit necessariam, sed

c) Quemadmodum itaque, hucusque allatorum vigore, *vaporis in pericardio præsentia*, liquori ibidem, in statu sano, ex necessitate colligendo nullatenus favet, cum vapor ille a venulis minimis continuo resorbeatur, antequam in verum coire liquorem possit, ac debeat, deficiente nimirum ipsi mora, ad collectionem necessaria: atque *præsens forsan liquor* manifestus, in minima licet quantitate, jamjam constituit hydrophem incipientem. Sic nec, qui liquori pericardii ab auctoribus tribuitur *usus*, cordi in continuo motu constituto proficuus, ne scilicet hujus fibræ motrices exsiccentur tandem, et attritu irritentur; liquoris cujusdam, in pericardio præsentis manifesti, necessitatem arguit ullo modo; cum ejusmodi fibrarum humectatio, posita eadem necessaria, latentibus in qualibet corcoris cavitate, adeoque et in pericardio, et in thoracis cavo, visceribus, e solo quoque adveniat vapore blando, absque liquoris proprie talis concursu. Atque sic, ad probandum, quod aqua, e Salvatoris latere perfosso prodiens, *non fuerit liquor pericardii, opus haud est, ejus adducere* (assumptam) in statu sano *paucitatem*, cum liquore aliquo, in copia conspicua effluente, non congruentem: quod ipsum interim legitur tam in *Wedeliano Progr. cit.* (D), quam in *allegato Blasiano* (F), itemque in *Diff. Dethardingiana cit.* „quod nimirum liquor pericardii, propter ejus in statu naturali paucitatem“ (si supponatur effluens) „prius defluxisset in cavitatem pectoris, et „ex minori quantitate parietibus ejusdem adhæsisset, ut minima et vix sensibilis portio vulnus transire potuisset — cum „ex contextu relationis Iohanneæ haud obscure hariolari liceat, majorem fuisse quantitatem fluidorum, quæ *statim a læsione pectoris profluxerunt.*“ Cur namque et parcior, aut in thoracis cavo, aut in pericardio, præsens liquor profluere e vulnere externo, decliviorum aperturam nacto, nequeat, haud apparet.

d) Ex

sed occasionalem tantummodo. Cum enim is aliquando præsens reperitur, licet morbum sic constituat: illius mentio, cum reliquis fluidis fieri solita, penitus negligenda non erat. Atque in hoc etiam sensu sumendum est scholium §o. 623. additum. Scholia quoque §o. antea commemorato adjecta, solam proferre experientiam alienam, e dictis hucusque patet.

d) Ex hactenus allatis adhuc elucet, *colorem rubeum*, quem HEISTERVS §o. cit. 260. simpliciter, WINSLOVIUS aliique nonnunquam additum, pericardii liquori tribuunt, eo forsan praesente, adventitium esse, adeoque peregrini quid admixtum testari; e quocunque demum fonte hoc accedat: quoniam serum, e quo vapor, adeoque et liquor pericardii fecernitur, cruore omni dudum fuit orbem, pariter ac de liquore, aut potius vapore, thoracico in antecedentibus dictum prostat.

e) Dantur auctores, *morbos quosdam generationi liquoris pericardii favere* contendentes, quos inter e. g. BLASIVS loc. cit. de *immoderata tristitia*, sanguinem reddente ferosiorum, loquitur. Ego quoque in *Progr. de Sudore Christi sanguineo*, maximum Salvatoris in horto Gethsemane angorem pro causa sanguinei sudoris assumpsi: e quo inferre quis posset, quod angor, Salvatori crucifixo, durante solari ecclepsi superveniens, majorem solito vaporis pericardii secretionem inducere, hinc ejusdem in liquorem manifestum collectioni praebere ansam, facillime potuerit. Quod attinet ad auctores, his, si *hydropem pericardii e morbis natum* subintelligant, quod obloquar, non habeo. Quoties vero iidem, de *liquore quodam pericardii, absque hydropis concursu*, id est, in minori copia, quam quae ad hydropem producendum requiritur, praesente loquuntur, tanquam ab effectu aut tristitiae aut morbi alicujus: toties ipsis probare incumbit, quod homo, e. g. tristitia maxima correptus, et post obitum liquoris pericardii copiam quandam secum habens, liquorem hunc, antea non praesentem, expresse tristitia mediante collectum obtinuerit; id quod vel ideo probatu; per experientiam saltem, ad quam tamen provocant auctores iidem; est impossibile, quia probatio danda supponit cognitam liquoris pericardii non-praesentiam antecedentem; undenam vero cognitio ista est haurienda? Numne hydrope pericardii incipiente laborans immoderatam contrahere, e fonte quocunque, tristitiam omnino nequit? Probandum auctoribus illis porro incumbit, copiam liquoris observatam, sive majorem paulo, sive minorem, ad constituendum pericardii hydropem non sufficere; et, quae sunt hujus generis alia. Quoad *sudorem vero sanguineum*, longe alia res est humorum,

fortius solito commotorum in genere, quam humoris cujusdam specialis, uberius fecernendi. Producendo priori universalis ebullitio sanguinis, impulsusque major ipsi impressus, apta sunt; ad posteriorem vero provocandum localis quaedam irritatio accedat, necesse est, monstrante istud pathologia. Angor itaque Salvatoris crucifixi *denuo sudorem* excitare *sanguineum* potuisset, secretionem, contra ea, vaporis pericardii auctam, hinc liquorem conspicuum producere non potuit, deficiente nimirum stimulo, expresse in pericardium agente. Accedit, quod sudoris in horto sanguinei, tanquam *facti aliquid*, meminerit historia sacra; quæ autem de *irritatione* quaedam, pericardio speciatim impressa, penitus silet.

Quodsi igitur nec e thoracis cavitate per se considerata, nec e pericardio cordeque emanarunt sanguis et aqua, *undenam venerunt ista?* Sanguinem e receptaculo sanguinis quodam prodiisse, concedamus oportet, nisi miraculose productum, id est, noviter creatum eundem velimus: cujus ultimi tamen necessitas, in casu præsentis, eo adest minor, quo certius thorax non modo vasa includit sanguifera, sed et omnium, quæ possidet corpus humanum, maxima; præter cor nempe ipsum, pulmonalia vasa, arteriam aortam, venam cavam in truncum superiorem inferioremque divisam, et venam azygos. Horum ergo vasorum aliquod lancea immissa vulneravit. Cumque nec sauciatum cor, nec pericardium, secundum probata in antecedentibus, instrumenti infixi linea directionis admittere sinat: arteriæ vero majores singulæ, hinc et aorta atque pulmonalis arteria, post obitum hominis, vel nullum plane sanguinem, prouti fit ordinariæ, in se continent, qui scilicet tunc in venis includitur omnis; vel non nisi illius quantitatem parcissimam, id quod aliquando contigisse auctores nonnulli perhibent, vid. e. g. HALLERI *Elem. Physiol.* Tom. I. Libr. III. Sect. I. pag. 197; talemque, ut profluvius inde nasci manifestus penitus nequeat: porro, vena pulmonalis, vena azygos, et venæ cavæ truncus inferior, pari modo, extra directionis lineam descriptam sint collocatæ: haud aliud laedendum superest vas sanguiferum majus, quam *venæ cavæ truncus superior*, qui et sanguinem includit copiosum; et, cum situ, paulo antrorsum ac sinistrorsum directo, usque ad primæ

primæ costæ veræ cartilaginem ascendit, notante WINSLOVIO Tom. III. *Traité des Veines*, §. 18. 19. qui ideo lanceæ, inter ultimas seu infimas costas veras, immissæ, ac in thoracis cavum penetrantis, et ab imo sursum pergentis, cuspide attingi in parte superiori optime potuit; sive ponamus aortam, cruore vacuum, simul læsam, sive non admittamus. E dicto venæ trunco prodiens sanguis, viam continuavit, a vulnere inflictio paratam, sicque e latere perfosso manavit extra corpus: qui, si e corde, læso simul diaphragmate, profluisset, in abdominis cavitatem potius iter suscepisset, ibidem collectus, nec mox post fauciationem, quod tamen e Salvatoris latere perfosso factum, extra corpus pertingens. Vas vero aliquod majus reipsa læsum, militis adhuc percutientis intentio patefacit, quæ, annorante WEDELIO (D), minime fuisse fauciatio quædam superficialia tuto assumitur, sed certitudo, Salvatoris morti actuali, jamjam cognitæ licet, major addenda; quæ ideo non nisi lanceam profunde, et ad profluentem sanguinem usque immissam, supponere permittit.

Verum enim vero, *e quonam fonte originem sumsit aqua profluens?* *Receptacula liquoris* cujusdam serosi specialia, paulo majora, in sani hominis thorace anatomia haud novit ulla; nisi ductum thoracicum forsan huc trahere quis velit, qui tamen, propter volumen minus, in computum venire hoc loco nequit, quoniam non modo e compluribus ramis minimis, unici canalis vices gerentibus, certe canali primario accedentibus, componitur, sed etiam, ubi indivisus apparet, calami straminei crassioris latitudinem, teste HEISTERO *Comp. Anat.* §. 214. non excedens, lymphæ, quam extra chylificationis horas vehit, tantam haud comprehendit quantitatem, ut ex illo aqua manifesta, qualem Iohannes refert, profluere possit. Ad hæc morbi interni, quemadmodum in antecedentibus monstratum est, in Salvatore locum non habuerunt, adeoque nec pectoris nec pericardii hydrops ullus, ceu aquæ profluentis fundamentum, præsens adfuit. Porro, anatomica experientia comprobante, *sanguis venosus* in cadavere quolibet, maximeque tempore, mortem immediate excipiente, totus observatur *fluidus*, omni putredine, adeoque partium componentium a se invicem secessu omni expers, qui scilicet ad mini-

num sanguinis moram quandam præcedentem supponit in loco, ubi naturaliter is adesse et commorari non debebat, e. g. obveniens in vulneris cavo grumolus, itemque vasculo exceptus post venæsectionem, sicque relictus quietus. Tandem et de *pericardio* abunde probatum est, per hæcenus disputata, istud aquam illam non suppeditasse: quod idem de *Thoracis vacuum* ambiente membrana pleura etiam monstrant antecedentia. E quibus omnibus sequitur, *ut serum e Salvatoris latere saucio*, una cum sanguine, rivulo *effluens* separato et conspicuo, sive *aqua*, ab Evangelista relata, naturalem minime, hinc aliam, id est, *supranaturalem habuerit originem*. Ponamus, eam e sanguine, quem læsa fudit vena, per modum secessus venisse: cum ejusmodi secessus, sive partium componentium a se invicem separatio, prouti dictum, sanguini, durante effluxu e vena qualibet, post obitum incisa, imprimis mox a morte passa, naturaliter contingat nunquam, ipso concedente BARTHOLINO allegato, atque corruptionem ullam, secessus dicti alias causam efficientem, Salvatoris corpus exanimum, consequenter eret sanguis in eodem latens, passum non sit, *ut hac vice per miraculum sit addita separatio*, necesse est. Supranaturale quoque junctum aliquid, me quidem iudice, verba Evangelistæ „qui vidit, testatur“ innuunt, quæ verba, si mortem Salvatoris secutam indigitare unice, prouti vult HEVMANNVS, debent, nec potiori jure effluxum sanguinis et aquæ, cum hujus facti narratione nimirum immediate combinata, respicere, superflua sunt addita. Quod si interim quis miraculosum quendam alium productionis aquæ modum e. g. creationem novam, præferre velit, quæ opponam, non habeo. Sufficit mihi accessum miraculi alicuius dedisse probatum, qui certissime sum convictus, neminem aut naturalem seri, in thorace sano, vel collectionem, vel habitaculum naturale præfens, unquam demonstraturum esse, aut naturalem e sanguine non corrupto secessum. Coronidis loco, *vulnus* in specie respicientia, momenta quædam pauca adjicere lubet.

I) *Vulnus commemoratum*; quod minimum haud fuisse, aut solam constituisse puncturam, quemadmodum placet BARTHOLINO *Epist. alleg.* et instrumentum adhibitum, et commemorata jam jam percussoris intentio, ab auctoribus assumpta,

pta, et fluidorum effluxus probant; sive cor ponatur vulneratum, eousque nimirum, ut sanguis e vulnere profluat, adeoque in ventriculos usque, sive vas quodcunque sanguiferum majus in thoracis cavo læsum, *absolute fuit lethale*, auctorum medico-legalium plane omnium consensu. Adeoque sanguinis effluxus e latere perfosso, haud parcus, veram Salvatoris mortem testatur, non vero *Pericardii ille innuit vulnus*, quod tamen sibi persuadent Exegetæ nonnulli citati (C), hoc ultimum namque *lethale non esse*, inter medicos constat, prouti ex antecedentibus pro parte elucet.

2) *Christus resurgens hoc vulnus habuit consolidatum*: quoniam, si apertum manifestet illud; et supponendo Salvatoris corpus post resurrectionem cum corpore crucifixo et sepulto plane idem, nec ullam mutationem in melius passum, sanguinis, forte residui, effluxus duravisset adhuc post resurrectionem; quin etiam in vivis esse Salvator cum vulnere aperto, consequenter sanguinem indefinenter stillante, non potuisset.

3) Nullius ante sepulturam factæ, vulneris deligationis specialis, vel etiam chirurgicæ, mentionem injicit Evangelista; et, si vel maxime adhibita supponatur, *nulla tamen vulneris, durante morte, datur consolidatio*, quæ nimirum, docente chirurgia, folius vitæ vi absolvitur. Itaque vel *mutatio* in Salvatoris corpore maxima, post resurrectionem præfens, concedenda est; qua scilicet mediante corpus resurgens, quoad proprietates saltim intrinsecas, a corpore sepulto diversum penitus assumi debet: vel *miraculum* negari nequit, vulneris inflæti consolidationem producens. Quo ipso palam fit, Thomam Apostolum non, quod vult *BLASIVS alleg. laterali vulnere adhuc aperto*; cui quippe, Christo nunc vivo, manus sive applicata, sive immissa, irritationem denuo atque sanguinis novam profusionem communicasset; sed pectoris regioni sive loco, olim faucio, jam *consolidato*, manum admovisse tangendo. Textus etiam facer Ioh. XX. 27. verbis *καὶ βάλε εἰς τὴν πλευράν μου*, secundum Tremellii versionem. „Infer manum tuam et extende in latus meum,“ *nullius vulneris adhuc præsentis meminit.*

Discursum hunc sequenti claudam admonitione, Vobis, Commilitones Optimi! dicata, quam muneris, quo fungor hodie, ratio postulat. Gratias agamus DEO et Patri Domini nostri


nostri Iesu Christi : atque vivamus ; quoad DEVS noster , lau-
 dandus in aeternum , vitam nobis largitur ; in honorem illius ,
 qui , nostrum solummodo causa , mortem adeo dolorificam
 ignominiosamque passus est ; qui vero et , resuscitatus a mor-
 te , vivit in secula seculorum ; nec vivit modo , sed et interce-
 dit pro nobis . Coeptra quævis nostra , nec non verba , imò
 animi etiam desideria , eo semper modo dirigamus singula , ut
 impetrandis beneficiis , a Salvatore promeritis , habeamur
 digni , quando redibit idem , iudicaturus mundum , et datu-
 rus cuilibet secundum opera ipsius .


P. P. SVB RECTORATVS SIGILLO.

FER. I. PASCH.

1775.







pta, et fluidorum effluxus probant; sive cor ponatur vulnera-
rum, eoque nimirum, ut sanguis e vulnere profuatur, adeoque
in ventriculos usque, sive vas quodcumque sanguiferum majus
in thoracis cavo læsum, *absolute fuit lethale*, auctorum medico-
legalium plane omnium consensu. Adeoque sanguinis efflu-
xus e latere perfosso, haud parcus, veram Salvatoris mortem te-
statur, non vero *Pericardii ille innuit vulnus*, quod tamen sibi
persuadent Exegetæ nonnulli citati (C), hoc ultimum namque
lethale non esse, inter medicos constat, prouti ex antecedenti-
bus pro parte elucet.

2) *Christus resurgens hoc vulnus habuit consolidatum*: quo-
niam, si apertum mansisset illud; et supponendo Salvatoris
corpus post resurrectionem cum corpore crucifixo et sepulto
plane idem, nec ullam mutationem in melius passum, sangui-
nis, forte residui, effluxus duravisset adhuc post resurrectionem;
quin etiam in vivis esse Salvator cum vulnere aperto, conse-
quenter sanguinem indefinenter stillante, non potuisset.

3) Nullius ante sepulturam factæ, vulneris deligationis
specialis, vel etiam chirurgicæ, mentionem injicit Evangelista;
et, si vel maxime adhibita supponatur, *nulla tamen vulneris*,
durante morte, datur consolidatio, quæ nimirum, docente chi-
rurgia, solius vitæ vi absolvitur. Itaque vel *mutatio* in Salva-
toris corpore maxima, post resurrectionem præfens, conce-
denda est; qua scilicet mediante corpus resurgens, quoad pro-
prietates saltem intrinsecas, a corpore sepulto diversum penitus
assumi debet: vel *miraculum* negari nequit, vulneris inflictæ con-
solidationem producens. Quo ipso palam fit, Thomam Apo-
stolum non, quod vult *BLASIVS alleg.* laterali *vulneri adhuc*
aperto; cui quippe, Christo nunc vivo, manus sive applicata,
sive immissa, irritationem denuo atque sanguinis novam pro-
fusionem communicasset; sed pectoris regioni sive *loco*, olim
saucio, jam *consolidato*, manum admovisse tangendo. Textus
etiam sacer Ioh. XX. 27. verbis *καὶ βάλει εἰς τὴν πλευράν μου*,
secundum Tremellii versionem. „Infer manum tuam et extende
in latus meum,“ *nullius vulneris adhuc præsentis* meminit.

Discursum hunc sequenti claudam admonitione, Vobis,
Commilitones Optimi! dicata, quam muneris, quo fungor
hodie, ratio postular. **Gratias agamus DEO et Patri Domini
nostri**

